



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**ITINERARI[I] || ITALIAE || RERVMQ. ROMANARVM || LIBRI
TRES ||**

Schottus, Franciscus

Antverpiae, 1600

Senogallia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70633)

ra permanferat. Tum bello contra *Fanenſes* tormentis ferè dirutus, cuius tamen effigies in proximo ſacello *Dini Miſhaëlis* ad rei memoriam inſculpta parieti eſt, impenſa publica Fanenſium. Apparent item in oppido marmora cum titulis vetuſta ædis *Fortuna*, aliorumque publicorum ædificiorum veſtigia multa: quamuis Gothicis variisſque cladibus aliis ſæpius deſtructum fuerit.

Flaminia relicta, cum *Metaurum* tranſieris, oſtenduntur à dextris non multis paraſangis inde ſita in eo tractu loca, cruentis præliis inſignia, & magnorum Ducum victoriis celebra: ubi M. Linius Salinator, & C. Claudius Nero Conſules *Aſdrubalem* Pœnum Annibalis fratrem acie victum occiderunt, ad *Metauri* ripas. Quæ clades Annibalem, viſo fratris capite, de fortuna Carthaginis deſperare coëgit. Item ulterius, quibus in campis *Totyla* Gothorum rex cruento prælio ſit ſuperatus à *Narſete* eunucho, *Juſtiniani* Imperatoris legato: cuius iſta præclara victoria iugum Gothicum ab Italiae ceruicibus ſublatum fuit, cum *Totyla* grauitè ſaucius è prælio in Apennini iuga fugiens, nõ procul à *Tiberinis* fontibus ad capras, velut à *Procopio* lib. III. hiftoriæ Gothorum narratur, vita deceſſiſſet.

S E N O G A L L I A

FSt oppidum celebre & peruetuſtū, *Sena* prius à conditoribus Gallis *Senonibus*; dein ad differentiam alterius eiufdem nominis, quæ in Etruria eſt, *Sena Gallia*, nuncupata, cum adhuc *Aeſis* fluius Italiam à *Gallia Ciſalpina* diſcerneret. Hinc P. *Dolabella* conſule *Senonibus* ad interneccionem extinctis, eorumque agris occupatis, Romanorum eſt Colonia facta ſi-

mul cum Castro & Hadria : quo ferè tempore, inclusis Vmbrijs, Italiæ limes ab Aesi ad Rubiconem vsque productus est. Marcum Liuum Salinatorem consulem cum exercitu aduersus Asdrubalem Italiæ ingruentem *senæ* confedis- se, & quingentos inde fermè passus hostem ab- fuisse constat, cum C. Nero collega maximis itineribus profectus è Lucanis cum expedito sex milium peditum, & mille equitum exercitu nocte veniret illi auxilio: Tunc iunctis viribus altero mox die fugam ultra Metaurum molien- tem Asdrubalem cum toto exercitu trucidarunt, vt antè diximus, & Titus Liuius pulcherrimè libri xxvii. sine narrat.

ANCON.

Est *Ancon* vt antiquitate, sic & opibus, pul- chritudine, atque emporio, propter portus commoditatè, celeberrimo, famosa & insignis, ideoque Græcorum, Illyricorum, ac Panno- num, in toto totius Europæ gentium mercatura continua frequentatur. De eius origine con- sentiunt auctores vetusti ac fide digni Strabo, Plinius, atque Solinus, *Græcam urbem* esse, eam- que Syracusios ob Dionysij Siculi tyrannidem profugos condidisse. Falluntur, qui *Dores eius conditores* arbitrantur fuisse, Iuuenalis Poëtæ vericulo decepti, quòd *Doricam* appellet *Ancon*, ludens in rhombum ingentem Demitiani Cæ- saris, satyra quarta :

*Incidit Hadriaci spatium admirabile rhombi
Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet
Ancon.*

Non animaduertentes venustè poëtam vna illa voce primam vrbs originem, atque simul vetustam ciuium linguam denotare, qua Syra-
cusij